



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De crucibus, quae visae sunt eodem tempore in villa Hellendorp, cap. 40.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**R**Etulit mihi quædam femina religiosa hoc anno; quod modico tempore ante crucis prædicationem; in villa quæ Hellendorp dicitur, non multum distans à Colonia, post solis occasum, duas cruces viderit in aëre, vnam maiorem, & alteram minorem, quæ paulatim ab occidente mouebantur ad orientem. Volens tanti miraculi habere testes, quodā aduocauit, qui & ipsi viderunt. Similes visiones memini me dixisse superius in distinct. 8. cap. 17. necnoa 18. primò de duobus Conuersis, qui Dominum viderunt in aëre pendetem in cruce: deinde de Rudolpho Conuerso de Lucka, qui Christum vidit crucifixum in aere, & quindecim cum eo. Audi adhuc miraculum de aere, factum terribile valde.

## CAPVT XLI.

\* Anno  
1212. vi.  
habes in-  
frac. 48.  
G. 50.

**H**oc \* anno in Saxonia, nubes integra de aere cadens, inter duo montana, multis tam in corporibus, quam in rebus, fuit damnosa. Tantis enim aquis abundabat, ut monasterium in valle proxima situm, peruaderet, & omnem in eo animam viventem, ab homine vsque ad pecus extingueret: officinas euertit, suppellectilem deuexit, sepes destruxit: quinque tantum monachi, in turrim fugientes, ex omnibus saluati sunt. Vocatur autem idem monasterium Wincndenburg, & est de ordine nigrorum. Deinde idem torrens, intolerabilim impetu suo ciuitatem vicinam inuadens, cuius vocabulum est\* Islere, similia ibi operatus est mala; omnesq; ecclesias, nec nō & omnia ciuitatis habitacula, violenter intravit, homines atq; iumenta submersit. Et quia Deo nō est cura de bobus, sed de hominibus, magnum atque memória dignum in suffocatis ostendere dignatus est miraculum. Nam omnes illi qui transacto diluvio in ecclesiis siue dominibus reperti sunt, niente candore nitebat; qui autem in theatris, siue in tabernis, extincti erant, carbonibus nigriores apparuerunt: tali enim charactere Deus bonos distinguebat à malis. APOLLONIVS: Sicut in hac plaga considero, non casu, sed Dei iusto iudicio flagel-